IVLIVS P. P. II.

Universitäts- u. Landesbibliothek Halle/S.

Morbio 24 (48)

Dilecti filii salutem et apostolicam benedictionem. Alias fe. re. Alexandro pp vj predecessori nostro pro parte dilectorum filiorum Prioris et conventus monasterii beate Marie de la passione in suburbiis Mediolan. ordinis
S. Augustini congregationis Lateranen. exposito quod olim bo. me. Daniel Archiepiscopus Mitileneu. qui dum in humanis ageret Capellam maiorem in ecclesia dicti monasterii construxerat condens de
bonis suis in eius ultima voluntate Testamentum voluerat quod de dictis bonis per vos seu hospitale maius pauperum Mediolanen. quod suum heredem universalem instituerat uni Lectori qui
canonicis ipsius Monasterii legeret centum libre Imperiales monete Mediolan. singulis annis traderentur. et in eadem expositione subiuncto quod non conveniebat quod unus Lector non religiosus
monasterium ipsum quottidie ingrederetur. ipsique canonici haberent religiosos ad huiusmodi lecturam idoneos idem predecessor per suas in forma brevis litteras vobis mandavit ut dictas centum
libras eisdem Priori et conventui singulis annis hac lege et conditione assignaretis quod ipsi unum Lectorem ut prefertur deputare tenerentur non obstante voluntate [illegible]
[illegible] cui ea vice derogavit prout in instrumento publico desuper confecto ac litteris predictis. quorum tenores presentibus haberi volumus pro expressis plenius continetur. Cum autem sicut
dicti Prior et Conventus nobis nuper exponi fecerunt licet dicte littere pro eorum parte vobis sive deputatis presentate et per unum ex Canonicis dicti Monasterii inibi per triennium post presentatio-
nem huiusmodi lectum fuerit. Nihilominus vos seu dicti Deputati easdem centum libras dictis Priori et Conventui quolibet anno dicti triennii solvere recusastis prout adhuc recusatis
asserentes ex eo quod quidam ex ipsis Rectoribus sive deputatis dicto testamento interfuerunt. et seu ad dicti Testatoris instantiam et requisitionem iurarunt dicto testamento non
contravenire vos non solvere non posse. iniquumque videatur quod ipsis Priori et Conventui qui in dicto Monasterio per unum ex illius Canonicis legi per triennium fecerunt ut prefertur dicte centum
libre quolibet anno non solvantur. meliusque et salubrius censeatur quod in dicto monasterio per unum ex illius Canonicis quam per alium et forte non religiosum legatur. pro parte eorundem prioris
et Conventus nobis fuit humiliter supplicatum ut eis et eorum indemnitati in premissis opportune providere dignaremur. Nos qui unicuique sumus in iustitia debitores huiusmodi supplicationibus
inclinati vobis per presentes committimus ac mandamus [illegible] ut eisdem Priori et Conventui pro dicto triennio iam elapso quo per unum ex dicti monasterii canonicis inibi lectum fuit ut supra
trecentas et quolibet anno centum libras similes dummodo per unum ex eis singulis annis legi faciant solvatis et solvere debeatis. Et nihilominus dilectis filiis sancte Marie de Scala
Mediolan. et sancti victoris de porletia Mediolan. diocesis ecclesiarum prepositis et mandamus quatenus ipsi vel alter eorum per se vel alium seu alios eisdem Priori et Conventui in premissis
assistentes vos ad solvendum trecentas pro triennio elapso et deinde quolibet anno centum libras similes huiusmodi dictis Priori et Conventui per censuram ecclesiasticam et alia iuris opportuna
remedia de quibus eis videbitur cogant et compellant. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac testamento quo compluries caveri dicitur expresse quod ipse Lector dicti ordinis non existeret et iuramento prefatis
cum testamento hac vice derogamus et quod iuramentum nobis relaxamus et aliis premissis ceterisque contrariis quibuscunque. Dat. Rome apud Sanctum Petrum sub anulo piscatoris die ultima
January. M. D. vj. Pontificatus nostri anno Tertio

P. Blondus

N.o ~~8~~. 5.

Dilectis filijs Rectoribus siue Deputatis hospitalis maioris pauperum Mediolanen

Dispensationes Pontif. Iulij II, et Alexandri VI, ut unus ex Canc.is Lateran. possit legere logicam et percipere lib. 100. ab Hospitali maj. iuxta mentem D. Danielis Biraghi.

Morbio 24 (48)

1506
Jan. 31

Universitäts- u. Landesbibliothek Halle/S.

Dispensat.o Summi pontificis ut unus ex Canc.is [illegible] possit legere Logicam et habere libras centum ab Hospitali magno Med.ni [illegible] D. Danielis Biraghi non obstante eius [illegible] dispositione

H A 146

~ Hie. Sclafenatus ~

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1860890717-18/fragment/page=0002